



Taubmann. axiomate

approbatum semel reprobari non potest 148. 13  
quod semel placuit amplius displicere non debet 129. num. 4.

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33

L. l. 9  
M. M. 6 10



CUM DEO!  
COLLEGII INSTITUT.  
PUBLICI  
DISPUTATIO QUINTA.  
Ethico-Politico-Juridica

*De*  
**CURATORUM**  
Constitutione, Eorumque & Tu-  
torum Satisfatione, Excusatione &  
Remotione.

*Ad tit. 23. 24. 25. & 26.*  
EXHIBENS  
TEXTUS

Continuationem, Quæstiones,  
Antinomias & Axiomata,  
*Quam*  
Sub PRÆSIDIO

**CHRISTIANI TAUBMANNI**  
J. U. D. & Profefs. Publ.  
*Discutiendam proponit*

**CHRISTIANUS Wehse Trebizensis,**  
Alumnus Electoralis.

*Ad diem 16. April. In Auditorio Jctorum horis antemerid.*

---

WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel/ Anno 1636.



CUM DEO  
COLLEGII INSTITUT.

REPUBLICI  
BAPTISTARUM QUINATA  
Ethico-Politic-Juridica

CHRISTIANI

Confessiones, Formaeque & Lit.

in Ecclesia Evangelica &

Methodo

CHRISTIANI

PRÆSIDI

CHRISTIANI

J. B. & P. R. P. P.

CHRISTIANUS

Amicus

Amicus

WITTEBERGÆ.

Typis Johannis Christophori Giesgt Anno 1736.



TIT. XXVII.  
DE CURATORIBUS.

MEMBRUM I.

*Continens Continuationem.*

**T**utelam excipit CURA, quæ est vis ac potestas administrandi bona eius, qui ipse ob ætatem, ut *minor 25. annis. pr.* vel animi corporisve vitium, ut *furiosi, prodigi, §. 3. Item mente capti, muti, surdi, & perpetuo morbo laborantes, §. 4.* ea administrare nequit. Horum etiam invitorum & nolentium, illorum verò non nisi volentium; Præterquam in litem, §. 2. Datur autem ab iisdem magistratibus, à quibus & tutores. *Non tamen testamento: datus tamen confirmatur decreto Prætoris vel Præsidis, §. 2. & 3. in fin. & 6.* Et *habenti tutorem alius tutor* regulariter, nisi ex caussa ll. expressa *dari nequit*, sed curator, §. 5. Quod si verò adversa valetudine, vel aliâ necessitate impediatur, actor periculo tutoris constituitur, §. ult.

MEMBRUM II.

*Continens Questiones.*

I. Num minores puberes absque Curatorum, quos habent, consensu, possint obligari? Neg. cum *Först. disp. 5. th. 1. Riemer. dec. 3. q. 9. Bocer. cl. 2. disp. 15. th. 30. Gödd. ad l. 21. ff. de V. S. Harpr. p. 600. n. 11. contra Hænon. disp. 3. th. 11. Treutl. 1. disp. 29. th. 9. l. c. & Hun. ib. Fachin. 3. contr. 9. Berens. disp. 2. th. 3. q. 1. Vid. Don. En. l. 12. c. 22. E. Ungeb. E 10. q. 4.*

II. An minor rem suâ pecuniâ comparatam, à tutore vel curatore possit petere utili vindicatione? Aff. cum *Först. ib. th. 2. Hænon. th. 10. contra Ant. Fabr.*

III. Utrum Regis, Electoris, Principis vel Ducis filio jam Puberi, Curator invito dari possit? Aff. cum *Harpr. hinc p. 599. n. 9. Cubach, cent. 2. quæst. illustr. dec. 2. q. 7. pag. 317. Bocer. cl. 1. d. 15. th. 10. b.*

A 2

IV. An



129.  
IV. An prodigus ex pacto suo & contractu sine curatoris sui consensu inuito obligetur saltem naturaliter? Neg. cum Hænon. tb. 12. Gödd. de contrab. stip. c. 7. conclus. 10. n. 126. & c. Harp. p. 610. n. 19. contra Donell.

V. An prodigo non ipso jure, sed magistratus demum sententia & decreto bonis interdicator? Aff. cum Hænon. tb. 14. Först. tb. 3. Riemer. q. 10. Treutl. 1. disp. 6. tb. 5. d. Don. En. l. 12 c. 22. f. Contra Donell. Fachin. Hunnium. Bocer. & Harpr. p. 606. n. 7.

VI. Utrum prodigus, cui bonis interdictum est, ex contractu jurejurando corroborato obligari possit? Neg. cum Harpr. p. 611. Hænon. d. 2. tb. 13. Berens. d. 2. the. 3. q. 3 Fachin. l. 2. controu. 64.

ANTINOMIA ] Initio huius tit. regula proponitur: Adolescentes eius ætatis esse, ut sua negotia tueri non possint. In §. 2. verò alia illi prorsus contraria: Invitos adolescentes curatorem non accipere. Cum quâ tamen aperte pugnare videtur, l. 1. §. fin. ff. de minor. 25. an. Ubi simpliciter negat ] Cuius: ante 25. annum minoribus rerum administrationem committi debere, quamvis benè rem suam gerentibus. Interim tamen hîc insignem errorem à Triboniano Institutionum compositore commissum esse cum Matth. p. 63. ita simpliciter statuere religio est. Vid. Martin. contrar. tb. 98. Ungeb. Ex. 4. q. 10. Riemer. dec. 2. q. 1. n. 1. c. 3. comm. c. 18. Ludwel. disp. 3. tb. 9. Harpr. hîc p. 595. n. 4. & c.

DIGRESSIO ] IV. Tutorem habenti, tutor dari non potest. §. 5. Rationes huius axiomatis Variæ à Dd. afferuntur, Zasius. ad l. 20. de ll. n. 4. hanc reddit: Quia plenissima potestas tutoris omnem aliam tutelam excludit: Et cum potestas plena concessa sit priori tutori, non potest ista cum posteriori communicari. Atque ita vult tutelâ; sicut Tacitus. Regnum insociabile. Interim illud nõ abs re sit addere, quod hîc Hortom & Bachov. monent, tutorem habenti posse dari alium tutorem. si ille alter tutor ultrò fieri hoc patiat; nam cum rationem istius regulæ hinc petierimus, quod per dationem novi tutoris, pristino fiat injuria, volens injuriam non patitur. Sic Sparta olim habuit duos Reges. Sicq; Marcum Antoninum Philosophum & Verum Anto-

Anto-

*Antoninum* ( qui duo pariter Augusti, primi simul Rempubl gubernaverunt Romanam) simili ac pari Majestatis Imperio regnasse, Julius attestatur Capitolinus in Vita Veri Imp. *Besold. disp. pol. s. class. 1. tb. 9.* Denique addo ex *l. 21 §. ult. de Excus.* posse dari tutores novos pro rebus administrandis, quæ sunt in diversis provinciis, *facit l. 39. §. 8. de admin. tut.* Nam & hoc casu in initio diversis illis & dissitis quasi patrimoniis diversi possunt constitui tutores, *l. 15. de Testam. tut.*

I. Quia sua negotia tueri non potest, curator dandus. *pr.* Unde rectè scribit *Arben. lib. 6. dipn.* Multos qui sibi ipsis præesse non possunt, tradere se in prudentiorum subjectionem. Regere namque & subjici, regi & gubernare, consentaneum esse apparet Naturæ seu Divino jure. *Vasq. illustr. 1 c. 1. n. 25. c. 21. n. 23 & c.* Sic cum difficile universum populum convocari, autoritas viris primariis tributa fuit, *§. 5. §. de jur. nat. g. & civ. & l. 2. §. 9. ff. de O. J.* Nam etsi convenisset, nullum habuisset consilium imperita hæc multitudo prona ad dissensionem. *Multitudo enim est mater seditionis & erroris.* Unde cum populus amplius sua negotia tueri non poterat, *neccitas ipsa curam Reipubl. primò ad Senatum,* tanquam Curatores deduxit: *d. §. 9.* Quia ab optimis prudentissimisque viris probabile est, saluberrima proficisci consilia. Sed novissimè sicut ad pauciores juris constituendi via transisse ipsis rebus diè antibus videbatur: per partes (succedaneas mutationes vel per factiones inter civitatis Principes, qui bella civilia commoverunt) evenit, ut neccesse esset Reipubl. per unum consuli. *§. 11. de O. J.* In multorum namque imperio, propter naturalem ad dissentendum proclivitatem, animi ad varias sententias distrahuntur, & antequam quid certi, quod ex usu Reipubl. statuatur, benè gerendi opportunitas elabatur: *Lege Regia Populus Rom. suum omne imperium ac potestatem etiam in se Cesaribus tanquam Curatoribus, permisit, §. 6. Inst. de jure nat.* Ea enim est conditio imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur. Nam neq; Populus, neq; Senatus mutua ob dissidia perinde omnes provincias probè gerere poterant, *d. §. 11.* Quæ componi non poterant, nisi Imperio ad unum devoluto: quod Tacitus de Augusto refert,

*Chryf. in  
Matt. hom. 8.*

*Tac. 1. an. 6.*

A 3

refert,

refert, eum *Rempubl. discordiis civilibus fessam nomine Principis sub imperium accepisse.* Ita enim in unum omnem potestatem conferri, quia sua negotia tueri non poterant, Pacis & Reipubl. interfuisse, *Idem 1. Ann.* scribit. Et *Hom. Il. b. Multos imperitare malum est: Rex unicus esto.* Haud dissimili ratione etiam Principibus, Episcopis & aliis gubernatoribus, si quando sufficere imperio non possunt, moribus *Adjutor*, ad instar curatoris, adjungi consuevit. Et eleganter quoque à nostris ad Regis vel Principis primogenitum, qui ex consuetudine solus imperat, accommodatur, ut scilicet, si ex accidenti *amens*, (blöde) vel furiosus efficiatur, *curatorem accipiat*: quod si verò vitium sit naturale & perpetuum, ad secundogenitum prærogativa ætatis & administratio transferatur: *secundum Heig. ad §. 5. hinc n. 8. Vid. disp. meam de O. J. tb. 12. §. 39. disp. 2. Ax. 4. tit. 2. Et disp. 4. tit. 13. ax. 2. tit. 14. ax. 3. cum ib. alleg.*

II. Inquisitio & Censura Reipubl. utilis. *arg. §. 3. hinc.*  
 Sic pupillis tutores à magistratu ex inquisitione dati, §. 3. & 4. *supr. de Attil. tut.* In quâ potissimum vestigatum. 1. An moribus honesti; 2. An locupletes? 3. An se ingessissent; 4. An pecunia tutelam ambiissent. *Wes. hinc.* Ut enim Legibus Magistratus ac Judices; ita moribus præficiendi sunt CENSORES: qui ea, quæ à Legibus definiri nequeunt, corrigant, notent. *Vid. Chockier in aphor. l. 5. c. 19. p. 281.* Quàm multa, inquit Seneca, *Pietas, humanitas, liberalitas fides, Justitia exigunt, quæ extra publicas tabulas sunt; neglecta tamen, aut contempti habita, multorum magnorumque malorum causa sunt.* Hi maximarum minimarumque rerum, præcipuè circa morum disciplinam, cognitionem animadversionemque habebant; de quibus Leges aut non scriptæ, aut quæ pœnali judicio haud digna videbantur. Inquirebant etenim, quo se quisque modo, domi suæ, intra Laris penetralia, erga uxorem, liberos, erga servos, erga propinquos, necessarios, vicinos gereret; quæ institutio liberorum, quæ disciplina, unde victus & amictus, quis opum usus, quis abusus; qui cultus, quæ incuria, quis focus & mensa &c. omnes malas artes & libidines malas, voluptatesque indignas, otium, luxum omnem prohibebant; ab univ-

versis



versisq; exigebant ut probitati atque industriæ, non sumptibus & divitiis studerent. Hincque *Censuram*, *Magistram pudoris & modestie nominat Cicero pro Pison*. Censorum autem legendorum, cum delectum habere solebant veteres; ut *Censores* fierent ii, quorum *vita non tantum à rapinis, sed & à vitiis penè omnibus, libera & vacua esset*, quæque cæteris omnibus, integritate &c. prudentiâ præstarent: ut *Censores*, omnibus Civibus, seipso quasi normâ benè temperanterque vivendi, & ad intuendum & imitandum præstarent, *Bodin. 6. c. 1*. Unde & *Censores* expertes Imperi ut essent, consultius esse arbitrati sunt, *Bodin. ib. n. 633*. Inde & nota illa, ceu censoria animadversio, et si *ignominia* diceretur; nihil tamen notato adferebat, nisi ruborem: & plurimum ab infamia distabat, quæ *Magistratum sententiæ ac iudicis irrogabatur*, *Tholof. 4. de Rev. c. 12*. Vid. *Besold. class. 1. disp. 4. th. 12. & c. & class. 2. disp. 3. th. 29*. *Lips. 4 pol. II. Amirat. II. disc. 2. Beren. tub. pac. p. 39. & 169*. Sed an nemine accusante, Magistratui nihilominus inquit fitio sit concessa? *Aff. Heig. part. 1. q. 39. Aven. quest. pol. 100. Bacch. ad disp. 4. vol. postor. Treatl. th. 9.*

III. Magistratus omnibus modis parentis vicem Populo exhibere, & necessitatibus singulorum maturo consilio subvenire debet. *arg. §. 3. & 4*. Cum enim Imperia propterea sint instituta, ut medio hoc, ad Politiarum & Civilis Societatis Finem perveniamus: inde sequitur: *Scopum omnium Imperantium non alium esse debere, quàm Justitiam & publicam salutem*, id est, directionem eius & tutelam; non ipsummet Principatum sibi finem esse; nec inventum fuisse Principum, aliorumve Imperium, suis ut ipsorum commodis, illi studeant: (*neq; enim in gravissimam servitutem spontè alieni commodi caussa se quisquam conjecisset*) sed subditorum ob salutem; eos scil. ut benè regant, eorumque omni tempore, commoda non tam investigare, quam incommoditatibus mederi procurent, multis illustrat, *Ferd. Vasquius illustr. contr. 1. c. 1. n. 10. Besold. de Appell. c. 1. n. 2*. Perfectum Imperium politicum est censendum, ubi *ἀρχὴ καὶ δέχουσι* *ἄρχη*, *ἄρχη* *καὶ δέχουσι* junguntur. Hoc idem ostendit *D. Paulus, Rom. 13. v. 14.*  
cum

1. Instit. Cyri  
 p. 26.  
 1. Tim. 2. v. 2.  
 5. habent.

Erasmi. chil. 3.  
 cent. 10. ad.  
 97.  
 l. 2. Serm.  
 lat. 3.  
 2.

cum ait de Magistratu: *Dei minister est tibi in Bonum.* Quemad-  
 modum omnia entia, esse suum dependens & participatum ha-  
 bent à summo illo ente: ita & Imperia, ab unico hoc fonte.  
*Fr. Patritius de Regn. l. c. 11.* Huc omnia sunt referenda ab iis, qui  
 aliis præsumunt; ut qui eorum suberunt Imperio, sint quàm beatissi-  
 mi, *Cic. ad Q. Frat. ep. 1.* hoc est, quemadmodum *Xenophon* ex-  
 plicat: *Universi ut tales sint, quales esse convenit, & res necessarias*  
*omnes affatim habeant.* Aut, ut *D. Paulus* scribit: *Ut Pietas & Ho-*  
*nestas inter homines cum Pace vigeat.* Hinc *Oppianus* pulcherrimâ  
 translatione, Reges & Principes vocat *muros orbis terrarum cœle-*  
*stes*, *Rittersh. in com. p. 314.* Hucque referenda sunt egregia *Tiberii*  
 verba, in pleno prolata Senatu: *Dixi & nunc, & sapè aliàs P. C.*  
*bonum & salutarem principem, quem vos tanta & tam liberâ pote-*  
*state instruxistis; Senatui servire debere & universis civibus. sapè ac*  
*plerumq; etiam singulis, neq; id dixisse me pœnitet.* Verè *Singulis!*  
 Unde non tantum ætate minoribus, sed adultis sano consilio de-  
 stituti *Curatores* frequenter dati, §. 3. & 4. hîc. Ut *Furiosis*, mente  
 captis & prodigiis: qui posteriores etsi mentis suæ ex sermonibus  
 compotes esse videantur, tamen sic tractare bona sua, ut nisi ipsis  
 subveniatur, deducantur ad egestatem; & quoad bona ipsorum  
 pertinet, furiosum faciant exitum. l. 12. §. 1 ff. de Tutor. & Curat.  
 dat. *Infantiæ* enim & hæc species est, neque tempus neque finem  
 expensarum habere: Cui & aliæ addi possent, quando non unum  
 sit stultitiæ genus, quomodo & proverbio dicitur: *Non esse ean-*  
*dem omnibus insaniam.* Et si *Horatio* credimus: *Danda est belle-*  
*bori multò pars maxima avaris:* Adde & his, qui in *Carbonario-*  
*rum* fornacibus aurum & lapidem Philosophicum quærunt.  
*Jac. Auber. in Fernel. Exerc. ult.* Sed an & famæ & honoris sui  
 prodigiis: ut qui libidinibus & blandissimis dominis voluptatibus  
 sese tradunt, quos nonnulli similiter ut illos, *Curatoribus* traden-  
 dos seu ad gentiles reducendos ajunt, arg. l. 15. pr. ff. de Curat. fur.  
 Quod tamen meritò sanioribus Interpp. displicuit: alioqui enim  
 & stultorum omnem familiam, & qui in *navi stultifera* ab aucto-  
 re pervulgato collocantur, omnes *curatoribus* subjici necesse ef-  
 set. *Legislatores* enim *Romani* eousque non progrediuntur, ut  
 omnes

omnes eiusmodi pravas perversorum hominum cupiditates coercerent, ac satis habent de iis tantum, quæ manifestè Reipubl societatem corrumpunt, vel custodiunt, leges ferre, *Heig. hinc. & ad §. 3. supr. de J. & J. Harpr. p. 613. n. 34. Vid. Lips. 2. pol. 6 Bornit. de majest. c. 6. & c. 12. Tileman. disp. ff. p. 1. d. 2. th. 4. Instrumentum quippe omne, omninò debet regulari secundum suum finem, Besold. class. 1. disp. pol. 1. th. 34.*

TIT. XXIV.

DE SATISDATIONE TUTORUM  
VEL CURATORUM.

MEMBRUM I.

*Continens Continuationem.*

Haftenus specialia tutelæ & curæ: Sequuntur nunc communia, quorum I. est SATISDATIO; Et est cautio, quæ fit datis fidejussoribus rem pupilli vel adolescentis salvam fore. pr. Adeò ut, nisi caveant, pignoribus captis coerceri possint, §. 3. Nisi forsitan testamento aut ex inquisitione dati sint, pr. Et è pluribus, qui satisdare non coguntur, is solus administrat, qui vel solus, vel cum quispiam paratus esset, satisdederit: quive à testatore aut majore collegarum parte; aut cum inter eos non conveniret, à Præatore delectus erit, §. 5. In eos quoque qui satis accipere neglexerunt, cautio subsidiaria excussis administratoribus conceditur, §. 12. & ult.

MEMBRUM II.

*Continens Quaestiones.*

Q. 1. Num heredes magistratuum teneantur de levi culpa? §. 2.  
Neg. Först. d. 5. th. 4. Frantzk Ex 3 q. 10. contra Cujac. 3. obs. 39.

Q. 2. Num pignoribus datis satisfactio facta censeatur? Neg. §. 3.  
Först. ib. th. 5. Treutl. v. 1. d. 5. th. 2 a. Gödd. ad l. 61. de V. S. Arum. Ex. 3. th. 18. Berens. disp. 2. th. 3. q. 2. Harpr. p. 618. n. 9. contra Gothof. & Bronch. cent. 1. ass. 18. Vid. Ungeb. Ex. 4. q. 12.

Q. 3. Quid si propter inopiam fidejussores invenire nequeat, an subjuratoria cautione admittendus? Neg. cum Treutl. ib. b. Hillig. Don. En. l. 3. c. 11. a.

B

MEM.

## MEMBRUM III.

*Continens Digressiones.*

II. Inherentibus rerum administratio non est committenda, arg. §. i. vers. itaq<sub>3</sub>. Nam qui operam suam ingerit, suspectus est. Unde etiam lege cautum est; ne magistratus eos tutores crearent, qui seipsos volunt ingerere; quive ut creentur, pecuniam dant: hos enim poenæ obnoxios esse promulgatum est, l. 21. ff. de Tutor. & Curat. & l. 25. ff. de Procurat: Non ferendus est procurator, qui sibi adserit procurationem? nam hoc ipso suspectus est, qui operam suam ingerit invito. Hinc Alexander Imp. dicere solitus est: Invitos, non ambientes, in Rempubl. collocandos esse. Et vel ob hanc causam talem ἀκκιστοῦν (ab Acco, qui quod cupiebat, curiosissimè recusabat, sic dictus) sive tergiversationem in accipiendo Imperio Imperatores sæpè finxerunt, ut viderentur inviti illud agere, quod agerent. Cujus rei & hic usus est. Nam hanc recusatione cum aliorum sententia elicitur: quod de Tiberio refert Tacitus, eum ad introspectiendas procerum voluntates induxisse dubitationem; tum Plebs magis magisque accenditur ad rem, quam intendit, efficiendam. Id ait Livius: Licinius, inquit, Sextiusq<sub>3</sub> cum tribunorum plebis creandorum indicta comitia essent, ita se gere, ut negando omnia sibi velle continuari honorem acerrimè accenderent ad id, quod dissimulando petebant, plebem. Quam artem egregiè calluit Augustus, de quo Tacitus: Eum specie recusantis flagrantissimè cupivisse. Et de Tiberio idem Tacitus: Ambiguus imperandi: & Sveton: Tandem, inquit, quasi coactus, & querens miseram & onerosam sibi injungi servitutem recepit Imperium, nec tamen aliter, quam ut depositurum se quandoque spem faceret. Qualem dubitationem etiam bellè finxit Otto Imp. factus: qui teste eodem Sveton. quasi nptus de publico, & suscipere Imperium vi coactus gesturusq<sub>3</sub>, communi omnium arbitrio palatium petiit. Hinc Arbiter: Nolo, quod cupio statim tenere, Nec victoria mi placet parata. Circa quam rem tamen magna difficultas est. Talis enim tergiversatio, quamdiu non apparet, dignitatem & usum habet suum, ubi verò erumpit & palàm fit, inepta est atque ridicula: quales.

lib. 6.

1. Annal.

les sunt illi, qui quod cupidissimè ambiunt, ita recusant, ut ipsorum libido atque aviditas vel cœcis appareat. Idque Tacit. notat in Blæso: *Hic Blæsus cum legeretur Procons. Africae, respondit specie recusantis; sed neq; eadem asseveratione & consensu adulantium auditus est, &c.* Vid. Clapm. de Arcan. Rerump. l. 2. c. 16. Turturett. parall. Ethic. Jurid. p. 78. 86. & 247.

III. Maxima Autoritati vis inest. arg. §. 1. vers. fin. a. Habet enim & obtinet tantum ponderis apud homines *Autoritas*, ut eius gratiâ cuiuspiam dictis factisque non minimùm defera-  
mus. Nec immeritò! Cùm auctoritas, gravitas, & eminentia quædam vitæ censeatur, vitæ itidem probitate, scientia, meritisq; partâ: Ut interdum multum intersit quid à quoque fiat, aut dicatur, adeò ut pleræq; actiones hominum laudem & vituperium non ex seipsis, sed ex auctoritate facientium sortiantur, multa argu-  
menta suadent ex legibus congruenter derivata. Et primò Juris-  
prudentes Principis decernentis auctoritati tantum deferunt, ut decernat Ulpianus: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* l. 1. ff. de const. Pr.  
Nec minus tribuunt supremorum iudicum auctoritati: ratam enim habent quicquid illi constituerint, pronuntiarint absque provocationis remedio. Quæ prærogativa Præfecti Prætorio fuit olim attributa. Etenim *Aurelius Arcadius* auctoritatem Præfectorum in tantum auctam memorat, ut ab eis appellari nullo modo posset. Causa, quam subdit prorsus eadem cum nostra est: *Credidit enim Princeps; eos qui ob singularem industriam exploratâ eorum fide, & gravitate ad eius officii magnitudinem exhibentur, non aliter iudicaturos esse pro sapientiâ, ac jure dignitatis suæ quàm Ipse foret iudicaturus.* Pro quo faciunt & illa *Calliodori*: *Quid est quod non habeat commissum, cuius vel ipse sermo iudicium? Penè est ut leges possit condere, quando eius reverentia potest negotia sine appellatione finire.* l. 1. ff. de offic. Præf. præf.  
Unde & Præfecturæ meritum omnibus dignitatibus antestare dicitur. Et quantum polleat auctoritas alio nomine benè legum conditores perspexere: eam proinde vel in ipsis iudiciis suspectam habuere. Unde ne quid reo officeret accusatorum & adversariorum auctoritas, illorum potentia obviâ ière. l. 6. ep. 3.  
Ita summo studio Præsidibus mandârunt: *Omnium desideria audiuntur,* l. 1. C. de offic. vic. l. 9. §. 4. & 5. ff. de offic. procons.

diantur, ne fortè dum honori postulantium datur, vel improbitati  
 ceditur, mediocres desideria sua non proferant. Nam opprimi ali-  
 quem per adversarii sui potentiam non oportet. Hinc sapè fit, ut di-  
 versè sentiamus de iisdem actionibus, si diversos habuerint au-  
 ctore: Nam cum opulenti loquuntur, pariterq; & ignobiles eadem  
 dicta, eademq; oratio equa non equè valet. Et profectò, ait Seneca,  
 pendemus toti ex alienis iudiciis, & id optimum nobis videtur, quod  
 petitores laudatoresq; multos habet, non id quod laudandum peten-  
 dumq; est. Nec viam bonam & malam per se estimamus, sed turba  
 vestigiorum in quo nulla sunt redeuntium vestigia. Quemadmo-  
 dum autem auctoritas parum rectè dictis aut factis pondus ad-  
 dit: ita plerumque optimas quorundam sententias, & hone-  
 stissimas actiones nullo alio nomine vituperamus, quàm au-  
 ctorum nomine à quibus prodiere: sed nomen auctoris si  
 suppresseris nemo non laudaret sive rem gestam, sive acu-  
 men vocis, & sententiæ prolatae sapienter. Unde Atheni præ-  
 clarè quoddam monitum, & consilium suggestum, non nisi sup-  
 presso auctoris nomine divulgarent. Idque lege fuit cautum: ne  
 gens ipsa non tam sententiæ pondus attenderet, quàm adyta senti-  
 entis auctoritatè respiceret; quâ perspecta sententiâ vilesceret. Vid.  
 Turturett. paral. Ethic. - Jur. p. 114. & 118. Amirat. lib. 20. disc. 6. in Tacit.

Gell. 1. 11. c. 4.  
 De ocio sa-  
 pient..

Gell. 1. 18. c. 3.

Archiloch.  
 Lamprid.  
 Commed.  
 Cæs. de bell.  
 Gall.  
 Plaut. Aul.  
 Varro in  
 fragm.  
 Tac. 4. ann.  
 Sophoc. apud  
 Athen.  
 Plin. paneg.

V. In malos administratores subsidiaria actio, quæ  
 ultimum præsidium. arg. § 2. Quibus studium *ἄρατ' ἀνδρῶν*  
*ἀποσκολοῦπτεν*: Omnem hominem natum decoriare. Prædam in  
 sinum suum conferre; Et privato compendio suo servire. Uno verbo:  
 Homines cum senis manibus, genere Geryonaceo: Quos si Argus ser-  
 vet, qui oculus totus fuit: Is nunquam servet. Et tamen servandi  
 frænandique sunt, aut Te & statum tuum perdent. *Ἀτταονεμ*,  
 inquam, suum comedent isti canes. Sed quomodo poteris? Cau-  
 tione duplici. Primum, ut res tuas non nisi spectatissimo cuiq; man-  
 des. Deinde si fallent, cum multis nihil cum lucro matum, amo-  
 veas: nec id sine pœnâ. Quâ illa? Talionis. Ereptum alienas pe-  
 cunias ivèrunt? perdant has quas habent. Spongiæ faciendi sunt:  
 & exprimendi, postquam affatim biberunt. Lips. pol. 1. 4. c. 11. & 16.  
 Clar. Bernegg. in notis pondum editis. Am. rat. l. 20. disc. in Tac. 11.

VI. Quod



**VI.** Quod quemque facere oportet, id si non faciat, legitimis remediis compellendus. arg. §. 3. Qui in Republ. gubernanda subeundos labores ( si vult facere satis suo muneri ) considerat attentè, is avertatur administrationem potius quàm appetit: quantumque alii propius accedunt, tantundem iste longius recedit. Quamvis talis vir bono publico perutilis, si respuat honores, à Principe cogendus est. Quam rem cordatius advertit *Theodoricus* scribens Senatui Romano. *Non passim sumus, ait, otiosum, quem merita non sinebant esse privatam. Sereni Solis consuetudine aestimandus, qui licet susceptum diem peragat, alterum tamen eadem gratia claritas illustrat.* Sic Leges Romanæ vel sæpè cogunt ad onera & honores, vel ab iis subeundis non excusant. Inde ad excusationem difficulter deveniunt. *Omnis excusatio, ait Ulpianus, suâ equitate nititur. Sed si prætentibus aliquid sine iudice credatur, aut passim sine temporis præfinitione, prout cuiq; libuerit, permissum fuerit se excusare: Non erunt qui munera necessaria in rebus publicis obeunt.* Itidem de cogendo munus agnoscere extrat eiusdem sententia: *Si quis, ait, magistratus in municipio creatus munere injuncto fungi detrectet, per Præsides munus acquiescere cogendus est remediis, quibus tutores quoq; solent cogi ad munus quod injunctum est acquiescendum.* Quod si penuria sit eorum qui magistratum suscipiant, in hac parte aliquorum immunitatem infringendam censuit *Modestinus, l. 9. ff. de Muner. & honor. &c.* Vid. *Turturett. paral. Ethic. Jurid. p. 255. & supr. Axiom. 1.*

*Cassiod. l. 1. Ep. 13.*

*l. 1. ff. de excus. & vac. mun.*

*l. 9. ff. eod.*

**IV.** Majoris partis consensus prævalere solet. arg. §. 1. vers. quod si. Quamvis sapienter *Justinianus* moneat: *Non ex multitudine auctorum, quod melius & æquius, esse judicandum; cum possit & deterioris sententia & multos & majores in aliquâ parte superare.* Quod & sacro & profano testimonio approbatur. *Non sequeris, ait Dominus, turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententia, ut à veritate devies.* Et *Seneca: Nihil magis, inquit, præstandum esse, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quâ eundum, sed*

*§. 6. de concept. ff.*

*Exod. 23. v. 5.*

*De vita beat.*



l. 5. §. pen. ff.  
de jur. dot.  
l. 39. ff. de ll.

quã itur. *Nec mihi dixeris hæc pars major: nam vel ideo peior est. Quia non tam benè cum rebus humanis geritur, ut meliora placeant pluribus, in dõ turba est argumentum pessimi.* Ideò Doctoribus etiam pluribus nihil pro se allegantibus non creditur, etiam si maximæ dignationis sint, *Hartm. Pist. p. 1. q. 30. n. 24. & q. 9. n. 14.* Quò etiam respicit Jctus: ubi ait: *Marcelli sententiam, etsi multi ei contradicant, ob æquitatem obtinere debere.* Unde argumentum adversus opinionis communis, quæ idoli ad instar in judiciis allegari solet, abusum duci potest, qui in tantum nonnunquam invalescit, ut communis error pro lege obtrudatur, *arg. l. 3. de Offic. Præt. Gail. 2. O. 32.* Ut *Fulgosius* asserat: Suo tempore *Glossatores pro Evangelistis* fuisse habitos; ideò quod viderint integrum juris pelagus, adeoque ipsis veluti testibus videntibus esse credendum. Interim tamen, ut negari nequit communis opinionis aut majoris partis auctoritate præjudicium veritati fieri nec posse nec debere, ita magnam receptas opiniones & majoris partis consensus præsumptionem justitiæ, æquitatis & veritatis inducere certum est. Utpote cùm *plurium oculi pariter verum cernentes scopum rectum tetigisse præsumantur, c. novimus de V. S.* Et omnes facere videntur, quod major pars facit, *l. 19. ff. ad munic. l. 160. §. 1. de R. J. Harpr. hic. p. 621. n. 4.* Unde & veteres Jctos receptis sententiis multum tribuisse, easque secutos esse ostendit, *l. 4. ff. de his qui not. inf. l. 12. §. 27. ff. de jur. patron. l. 13. de excus. tut.* Inde quoque est quod litigantes responsa prudentum pro se habentes in expensas litis non damnentur. Vid. *Lindeman. hist. jur. th. 286. & c. Toming. decis. 48. Reincking. de regim. l. 2. class. 2. c. 11.*

lib. 4. ep. 8.

l. 9. Ep. 12.

I. Quorum fides & diligentia adprobata est, in illos non est inquirendum. *arg. princ.* Judicium enim à magno Viro, Rege, Principe profectum, est magnificandum, uti & donum. De isto *Plinius: Gravissimi Principis judicium in minoribus etiam rebus consequi pulchrum est.* De hoc *Cassiodorus: Dona regalia quamvis parva, sublimant.* Si vis causam, ecce eam ex eodem: *Quia simul & meritorum gratiam reperisse creditur, qui*



qui principali munere sublevatur. Et alibi: *Pompa meritorum est regale iudicium: quia nescimus ista, nisi dignis impendere.* Etenim magnorum virorum iudicium cum nulla perturbatione commotum à recto nunquam deflectatur, Index est certissimus virtutum, quas in homine adprobato tributæ laudes inesse denotant. Hinc fit, ut Principis iudicio leges tantum tribuant, ut non modò magna laus ab eo proficisci intelligatur, verum etiam *maculosas vitiate*, ut loquuntur, *opinionis notas eiusdem iudicium abstergat.* A quibus non discrepat legumlatoris Gothici Theodorici sententia, qui apud Cassiodorum ita infert: *Neque enim dignus est à quopiam vedargui, qui nostro iudicio meretur absolvi.* Non dissimili argumento utitur ille apud Tacitum ad veniam deprecandam, quod coluerat amicitiam *Sejani*: Bonum enim existimabat, quia tale de eodem *Tiberius* ipse iudicium proferret, dum honoribus augebat, imperio participabat: *Tui, inquit, consulatus socium, tua officia in Repub. capeffentem celebramus. Non est nostrum aestimare, quem supraceteros, & quibus de caussis extollas.* Quid? quod contraria hominum iudicia lege Casareâ reputantur sacrilega? Si nimirum loquamur maledicè de iis, quorum Princeps fidem & diligentiam adprobat, & ad honores evehit, ac nostrum iudicium interponentes indignos reputemus dignitatibus & præfecturis, quos ipse dignos iis collatis iudicavit. Unde Imp. ad Symmachum præfectum urbis ita scribunt: *Disputare de principali iudicio non oportet: Sacrilegii enim instar est dubitare an is dignus sit, quem elegerit Imperator.* Quas leges est imitatus & transcripsit in Constitut. Siculas *Rogerus Nortmannus primus Rex Sicilia*: Is enim etiam vetuit, ne Regum iudicio & electioni subditi obloquerentur, pœnè iisdem verbis: Nam crimen fecit sacrilegio par disputare: *An is dignus sit quem Rex elegerit.* Vid. *Turtur parall. p. 184. Robert. rer. jud. p. 481.*

*Grut. disc. in Tac. p. 20.*

*l. 4. C. ad SC.  
Tertill.*

*Tac. l. 6.*

*l. 2. C. de crim.  
sacril..*

*&*

*l. 5. C. de di-  
vers. rescript.*

TIT.

TIT. XXV.  
DE EXCUSATIONIBUS TUTORUM  
ET CURATORUM,  
MEMBRUM I.

*Continens Continuationem.*

Sicut Satisfactio est communis tutoribus & curat. Ita quoque  
EXCUSATIO utrisque ex variis causis indulgetur, *l. 1. pr. ff. h. t.*  
Quarum quædam sunt communes, quædam Curatorum pro-  
pria. COMMUNES sunt. I. Numerus liberorum, *pr.* II. Rerum  
fisci administratio, §. 1. III. Absentia Reipub. causa non affectata,  
§. 2. IV. Potestas seu Magistratus munus, §. 3. V. Lis cum pupil-  
lo vel minore de omnibus bonis vel majore parte, §. 4. VI. Tres  
tutelæ curæve non affectatæ, §. 5. VII. Paupertas oneri injuncto  
impares faciens, §. 6. IIX. Morbus fonticus, §. 7. IX. Littera-  
rum inscitia, negotiorum imperitiâ conjuncta, §. 8. X. Malevo-  
lus testatoris animus ad invidiam tutorem dantis, §. 9. XI. Inimi-  
citiæ capitales cum patre pupilli vel adulti non reconciliatæ, §. 11.  
XII. Status controversia mota à patre pupilli, §. 12. XIII. Ætas  
major 70. annis: Minor n. 25. ne quidem volens admittitur, §. 13.  
XIV. Militia, §. 14. Nisi à commilitone datus, *l. 23 §. 1. h. t.* XV. Pro-  
fessio certarum artium, §. 15. Is autem qui se patri pupillorum  
ignotum, §. 10. Vel se ad universum patrimonium datum dicit,  
§. 17. non excusatur. CURATORUM PROPRIÆ sunt I. Tu-  
tela pupilli gesta, §. 18. II. Matrimonium, quod ab uxoris cura-  
tione quamvis susceptâ, maritum excusat, §. 19. Qui autem se  
excusare volunt, *non appellant*, sed intra 50. dies continuos. ex  
quo cognoverint se esse datos, se excusare, etiam pluribus excusa-  
tionibus, debent, §. 16. Modò non falsis; quæ non profunt. §. *fin.*

MEMBRUM II.

*Continens Quæstiones.*

Q. 1. An numerus liberorum hîc recensitus saltem à muneribus  
personalibus excuset? *Aff. Hen. d. 3. tb. 16. Olemann. d. 7. n. 3. Sc.  
Harpr. p. 626. n. 13.*

Q. 2. An



Q. 2. An magistratus municipalis quoque excusetur? Aff. cum  
 Dn. Ludw. hic. d. 3. tb. 11. e. Fom. d. 7. tb. 14 f. Contra Giph. & Harpr.  
 p. 629. n. 4.

3. An tutela munus publicum? Aff. Hæn. d. 3. tb. 17. Arum.  
 Ex. 3. tb. 19. Don. En. Hildig. l. 3. c. 9 V.

4. An a tutelæ datione possit appellari? Neg. cum Först. tb. 7.  
 Hæn. tb. 19. Berens. d. 2. tb. 4. q. 1. Frantsk. Ex. 3. q. 7. Contra Cujac. Go-  
 thof. Hottom. & Treutl. Ung. q. 15. Ex. 4. Ludwel Harpr. p. 652. n. 4.

5. An legitimi quoque tutores se à tutela possint excusare? Aff.  
 cum Arumæo. Ex. 3. tb. 22. Först. tb. 8. Hæn. tb. 20. Ungeb. Ex. 4. q. 13.  
 Don. En. l. 3. c. 9. X. Berens. ib. q. 2. Harpr. p. 640. n. 7. Contra Cujac.  
 Borch. Heig. & Giphan.

6. An Doctores legum excusationem à tutela habeant? Neg.  
 cum Berens. ib. q. 3.

### MEMBRUM III.

#### Continens Antinomias.

2. In §. 8. hic. asseritur: Eos qui litteras nesciunt, esse excusandos.  
 Cui adversatur apertissimè l. 6. §. ult. ff. h. t. ubi Adrianus & Anto-  
 nin. rescripserunt: Eum qui litteras nescit iccirco excusandum non  
 esse, si modò non sit expers negotiorum. Vid. Vult. 8. discept. Pat. cent.  
 5. q. 82. Bronch. cent. 2. miscell. ass. 5. Hænon. tb. 18. Ungeb. Ex. 4. q. 14.  
 Berens. ib. q. 4. Harpr. p. 635. n. 4.

1. In pr. hic. tutelam placuit esse publicum munus: In l. 6. §. 15. ff.  
 h. t. displicuit. Matth. hic. p. 67. Pat. cent. 5. q. 81. Gödd. ad l. 18. n. 19.  
 de V. S.

3. A tutelæ datione non esse appellandum, vult. §. 16. hic: Et  
 tamen per l. 17. §. 1. ff. de appellat. l. 20. ff. de administr. & peric. tut. l. 2. ff.  
 si tut. vel curat. provocat & appellant, qui tutores dati sunt. Matth.  
 hic. p. 70. Treutl. p. 2. d. 9. tb. 1. Niell. disp. feud. 1. tb. 2. Don. En. l. 3. c. 9. v.

4. Maritum uxori curatorem datum, quamvis se immiscuerit,  
 excusari posse, rescripserunt, D. Severus & Antonin. §. hic. Cùm  
 tamen maritus uxori curator dari non debeat, l. 2. C. qui dar. tut.  
 l. 4. C. h. t. l. 14. de curat. fur. Frustra igitur se excusat, arg. §. 13. h. t.  
 Matth. p. 72. Martin. tb. 101. Harpr. p. 655. n. 2.

C

MEM-

MEMBRUM IV.  
*Continens Axiomata & Digressiones.*

*l. 3. mor. c. 6.*

*Idem. 2. de anim. text. 20.*

*lib. 1. Rhet.*

*pro Plancio.*

II. Qui pro Repub. cecidērunt in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. *pr.* Dubium non est quin honor sit præmium virtutis. Sed *an* iste mortuis quoq; & vitâ functis sit tribuendus? Sunt qui autoritate *Aristotelis* negent, dum mortem vocat rerum omnium quæ mortalibus contingunt, ultimam lineam. Alii q; affirmant nihil esse, sive boni sive mali, quod mortuum attingat; cui morte ipsâ, hæc omnia vitæ commoda, atque lux est sublata. Adde etiam quod honor virtutis præmium definitur: Virtus autem viri mortui evanescit, recidit in nihilum, penitus occidit. Ajunt enim Philosophi eodem Doctore evanescere habitus animi in obitu hominis, unde si virtus exaruit, non habemus cui honoris præmium tribuamus. Contrarium tamen verius est, nec ab ipso *Aristotele* alienum, quo autore est à nobis asserendum. Quod enim *mortuorum memoriae sint honores tribuendi*, sæpissimè edocuit. Idq; bono publico expedire optimè declaravit, dum à Repub. decerni vult honores benè de eadem promeritis, vitâq; cassis: Qui scilicet occubuerint in bello, vel aliam præclaram operam viventes navârint: Ipsemet in Rhetoricis enumerat genera honorum, quæ mortuis deferri censebant honorificum, ut sunt *sepulchra, statuae, panegyrici*. Nec contra facit quod asseritur, *vitâ functos omni sensu & virtute esse cassos*, etenim verum est honoris sensu illos non tangi, neque gloriæ illecebris titillari, hoc tamen non efficit, quin honos *mortuis competat. Vivunt in memoria posterorum: quam vivendi rationem referunt acceptam optimè gestis*, honoribus autem ornatam & exultantam. Hinc præclaris gloriæ laudationibus quasi viventes in æternitatem commendantur: Qui pro Repub. vitam reddidērunt, nunquam eos potius mortem quàm immortalitatem assecutos, *putat Cicero*: sed ea præmia mortuorum memoriae jure meritoq; debentur. Nam si honor ob præclara merita viventi homini omnium suffragio refertur, haud eodem vel vitâ functus est fraudandus.

dandus. Quemadmodum enim ille rebus egregiè gestis præstitit, ut non modò dum viveret, sed post mortem etiam in Rempub. beneficia perseverarent, ita rationi fuit consentaneum, ut mortuus non excideret memoriã, adeoque post mortem ipsam honoribus augetur. Rectè Seneca hanc rem attigit: *Hæc debemus virtutibus, ut non presentes solum illas sed etiam ablatas è conspectu colamus: Quomodo illi iidem egerunt, ut non in unam ætatem prodesse, sed beneficia sua etiam post ipsos reliquerunt: sic & nos non unã ætate grati simus.* Sic *Tyrtæus* Poëta in Elegiis de mortuo in acie pro patria: *Huic quoque sub terris vita, ut in ante manet.* Itaque: *Majores nostri, qui ob Rempub. mortem obierant, pro brevi vita diuturnam memoriam reddiderunt.* Et *Solon*: *Beatum eò beatum prædicat, quod obitus ei splendidissimus, in acie scil. obtigerit.* Et *Turcæ* nullorum animas majore compendio in cœlum evolare credunt, quàm virorum fortium, qui in bello cecidère. Et *Græci* solennibus laudibus eos prosequerantur, & præterea constituerunt, filios eorum, qui in bello mortui erant, publicis sumptibus alendos esse. Eleganter autem Interpretes nostri, quod *in l. 18. de excus. tut.* de eo, qui in acie cecidit, proditum erat, ad illum quoque pertinere judicant: *qui præsidio impositus, obsidente urbem hoste, in eruptione aut irruente & irrumpente hoste fortiter pugnans occumbit. Bac. hic.* Aut qui in acie vulneratus lethaliter extra castra decessit: cum quæ in continenti fiunt inesse censentur. Et comparari hæc inter se soleant, mortuum videlicet statim, vel lethaliter vulneratum esse. *Heig. n. 12. Vid. Don. En. l. 3. c. 9. f. Turtur. paral. p. 239. Busbeq. Ep. 3. p. 200. Camer. hor. succis. cent. 1. c. 3. Harpr. p. 625. n. 10.*

Cic. Phil. 9.

Arist. l. 2. Pol. c. 6.

I. Numerus liberorum à publicis muneribus excusat. *pr. hic. l. 1. & 2. ff. de vacat. & excus. mun.* Nam gignere & educare liberos munus est Reipub. necessarium. *l. 1. sol. matrim.* Unde *Romani* hoc unicè egerunt, ut copiosam Rempub. & plurimos cives haberent, ut prole continuo & perpetuo succrescente non deessent ad bellum milites. Itaque variis præmiis maritos & patres honorârunt, contra cœlibes & orbos pœnis quibusdam coërcue-

C 2



204.

2. Pol. 9.  
6. var. 6.  
Gen. 29. 34.  
6. 30. 10.

coercuerunt, in quam rem præcipuè lata LL. Julia de maritandis ordinibus; itemque Papia Poppæa. Unum autem genus præmiorum fuit, immunitas à publicis onerosis functionibus, muneribus civilibus pro numero liberorum, d. l. 1. § 2. Est enim tantæ sollicitudinis atque laboris, ut hac in parte, qui bonam navat operam Reipubl. ei in aliis oneribus meritò sit parcendum. Sed & pupillarum interest, ne sibi is præficiatur, qui alioqui curis domesticis sic districtus est, ut rebus pupillaribus commodè vacare non possit. Nec hoc Romanis proprium fuit. Scribit Aristot. Legem esse Spartanis: τὸν γεννήσαντα τρεῖς ἢ ἄρ' ἄφ' ἑσέων εἶναι, τὸν δὲ τετάρτα, ἀτελῆ πάντων. Quamvis Alian. scribat, apud Spartanos eum qui quinque liberos genuerit Reipubl. πασιῶν τῶν λειτουργειῶν ἀφείδει. Ad hoc exemplum liberi apud Romanos vacationem præstitèrunt, & quidem à tutela liberi tres, quatuor, quinque. respectivè, ut cives urbis Romæ cæteris Italicis, hi Provincialibus præferrentur & potiori jure essent. l. C. qui num. lib. Licet enim omnes etiam Provinciales cives Rom. facti sint, tamen non ob id omnis differentia sublata est, ut patet ex § 40. infr. de R. D. § pr. de usucap. Sed & quoad civitatem Rom. plurimum quo ad varia jura inter incolentes urbem Romam & cæteros intererat, neque enim omnes æquo & optimo jure cives Romanierant. Quia videatur interesse populi Romani, ampliari hominum adjectione urbem Romam potius quàm Italiam, & Italiam potius, quàm provincias: propterea quod majestas Reipubl. in urbe potissimum resideret, potestas verò in Italia, tradente, Ant. Fabr. pag. 1098. Sic numerus iste liberorum etiam primo seculo privilegiatus ac benedictus fuit: Peperi enim ei tres filios, inquit Lea: Et post: Duplicatum numerum vocat divinum, seu à Deo & donum bonum, à causa & effectu hanc εὐτυχίαν commendant. De quo multa apud Vertran. Maurum de jure libb. Lips. 3. ann. Tac. pr. Heig. Bach. & Wes. htc. Harpr. p. 626. v. 12. § 18.

IV. Prætextu publici muneris, privatam commodum non debet capere augmentum, arg. §. 2. vers. quatenus.  
V. Onus affectatum non prodest, arg. §. 5.  
VII. Pro-

VII. Promissis standum, *arg. §. 9.*

VI. Aliquando est commodum, pauperem esse & nihil scire. *Sen. 2. de arg. §. 6. & 8.* Sic Nero: Vellem nescire litteras, *Don. En. l. 3. Clem. c. 9. d.*

III. Magistratus arcanum habeat librum, & semestria instituat. *arg. §. 1.* Consueverunt magni mercatores librum quendam (*secretum vocant*) penes se ipsos habere, quem nefas est, patere ministris, utpote in quo omnis suæ substantiæ summa continetur. Quod ut item Principes in suis principatibus præstare teneantur, non per ænigmata, aut involucra verborum; sed sui exemplo *Augustus* indicavit: qui majore diligentia quàm fortasè mercatores hâc in re adhibere soleant, *manu suâ cives Populi Roman. in compendium redegerat.* Et Cicero: *Est, inquit, Senatori necessariam nosse Rempubl. Idq; latè patet, quid valeat arario, quos socios Respubl. habeat, quos amicos, quos stipendiarios, quâ quisq; sit lege, conditione, federe, &c.* Unde & *semestria consilia*, autore *Sveton.* Augustus & alii Impp. instituerunt, convocatis semel per semestre spatium prudentibus Senatoribus, cum quibus de *Republ. de jure & SCtis* faciendis, deliberarent. In his videretur & istud constitutum esse: quemadmodum ad Ecclesiasticam disciplinam tuendam, & quæstiones causasq; incidentes ritè definiendas, in Concilio Antiocheno post eodem exemplo sancitum est: Ut *Episcopi* per singulas provincias bis in anno conveniant, binasque synodos cogant, *C. de concil. c. propter 18. dist. Wesenb. bto. p. 143.* Sequimini qui ad clavum! *Tanti enim quisq; estimandus est, (inquit noster D. Marcus in sua vita) quanti sunt ea, in quibus studium & operam ponit. Rittersb. p. 126. Vid. Amirat. disc. in Tac. l. 1. c. 5.*

IIIX. Et ignoti beneficiis afficiendi, *arg. §. 10.*

X. Incivile est, eos qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egent, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam gerere, *§. 13.*

XIII. Satis abundeque sufficit, si cui vel in paucis amici labore consulatur, *arg. §. 18.*

XIV. Fal.

Attius.  
Senec. 3. de  
ira.

XIV. Falsa & injusta non profunt, arg. §. ult.

IX. Inimicitia capitalis sunt indicendae. arg. §. 11. Exsecratione e. digni: Qui composita dicta è pectore evolvunt suo, quae cum componas, dicta factis discrepant. Sed: Quid juvat tanquam in aeternum genitos iras indicere & brevissimam aetatem dissipare? Vid. Revard. l. 5. var. c. 15. Don. En. l. 3. c. 9. 1.

XII. Viarum Magistri eligendi; & milliaria lapillis signanda, arg. §. 16. Don. En. l. 3. c. 9. 1.

XI. Et Grammaticis, Rhetoribus, & Medicis Immunitas non deneganda, arg. §. 15. Quantum autem Medico prudens Politicus vel Jurisperitus praestet. Vid. Bod. 3. de rep. 8. Guev. horol. Princ. l. 1. c. 43. Don. En. Hillig. l. 3. c. 9. n.

TIT. XXVI.

DE SUSPECTIS TUTORIBUS  
VEL CURATORIBUS.

MEMBRUM I.

Continens textus Continuationem.

Tertium & ultimum commune utrisque est: *Suspecti remotio*: ex lege 12. tabb. descendens, pr. *Suspectus* autem est, qui non ex fide tutelam gerit, §. 5. Cujus cognitio iis competit, quibus eam lex concessit, §. 1. Et adversus quosvis tutores, etiam patronos, dummodo fama eis fervetur, §. 2. Estque haec *accusatio* quasi publica, omnibus competens, etiam mulieribus propensa pietate ductis, §. 3. Non tamen impuberibus; licet puberes ex consilio necessariorum admittantur, §. 4. Eique suspecto postulato, quoad cognitio finiatur, administratio interdicitur, §. 7. Et si suspicionis causa probata fuerit, à tutela vel cura removetur, etiam si solvendo sit, aut satis offerat, §. fin. Probatur autem 1. Si moribus talis sit, d. §. fin. 2. Si alimenta pupillo non praestet, §. 9. 3. Si praesens per mendacium neget, alimenta decerni posse, §. 10. 4. Si datâ pecunia ministerium tutelae adquisierit. *ibid.* Ut & libertus





bertus fraudulenter tutelam filiorum Patroni administrans, §. II.  
 Porro remotus ob dolum famosus fit, ob culpam non æquè, §. 6.  
 Sed si suspecti cognitio suscepta fuerit, posteaque tutor dece-  
 rit, ea quoque extinguitur, §. 8.

## MEMBRUM II.

*Continens Quaestiones.*

- I. Num cognitio de suspectis competat jure magistratus? §. 2.  
 Neg. cum Först. *disp. 5. th. 9. Treutl. vol. 2. disp. 9. th. 3. c. Harpr.*  
*p. 658. n. 2. Contra Ungeb. & Vacun.*
- III. An tutor vel curator remotus ob culpam latam fiat in- §. 6.  
 famis? Neg. cum Först. *ib. th. 10. Frantsk. Ex. 3. q. 8. Arum. Ex. 3.*  
*q. 23. Harpr. p. 663. n. 2. Contra Don. & ib. Hillig. l. 16. c. 7. X.*  
*Hunn. & Bachov. ad Treutl. vol. 2. d. 9. th. 4. c. Hænon. d. 3. th. 22.*
- II. An suspecti tutoris postulatio, actio sit popularis? Aff. §. 3.  
 cum Hæn. *d. 3. th. 21. Fabr. disp. 11. th. 3. Contra Vultej. hic ad pr.*

## A X I O M A T A.

- I. Famæ Patroni & Magistratus parcendum, §. 2.
- IV. Mulier verecundiam sexui congruentem egredi non debet, §. 3.
- V. Pium est injuriam subditis illatam non sustinere, arg. §. 3.
- VII. Remotus ob dolum famosus est, ob culpam non æ-  
 què, §. 6.
- IIIX. Accusatio morte rei finitur, arg. §. 8.
- IX. Mora & Cunctatio interdum damnosa, arg. §. 9. Cun-  
 ctationi igitur non opus, *inquit Tacit. 1. bist. 21. ubi perniciosior*  
*est quies quàm temeritas. Esset enim amentis, cum aciem videres,*  
*pacem cogitare.*
- IX. Satisdatio malevolum consilium non mutat, sed diutius  
 grassandi facultatem præstat, §. ult.
- II. Quod cavere possis, stultum est admittere, arg. §. 2. Cic. pro. Q.  
 Nihil e. parvum contemnendum esse, medicum Hippocratis est præ-  
 Ligario.  
 ceptum: l. 6. Ep. sect. 2.

Liv. 25. c. 18.

Greg. 1. 1. c. 5.

ceptum: Sed ad communem quoque vitam aptissimum: in qua  
 nihil tam leve est, quod non magna interdum rei momentum faciat.  
 Exiguum interdum malum neglectum ingens periculum peperit.  
 Unde summi Philosophi præceptum auro contra non carum:  
 In rebus publ. benè temperatis maxime cavendum, ne quid parvi ne-  
 gligatur. Occulte enim serpit institutorum civitatis everfio: non se-  
 cus ac rem familiarem parvi sumptus, at sæpe facti exhauriunt.  
 Non apparet autem commutatio: quia non tota simul profusio fit.  
 Haud scio an ulla res alia quàm hujusce prudentissimi consilii ne-  
 glectus, clade majori, jura multorum adfixerit: Aliis crecen-  
 di copiam dederit. De quo itaque hodie constat, de eo hodie a-  
 gendum est, arg. §. 9. hinc. Jura enim vigilantibus sunt scripta.

III. Quod semel approbatum, reprobati potest, ibid.

VI. Publicæ utilitatis quivis vindex esse potest & debet, arg. §. 3.

X. Qui emit, vendat oportet, arg. §. 10.

XI. De quo hodie constat, de eo hodie agendum est, arg. §. 9.

XII. Paupertas non reddit suspectum. §. ult. Mores enim potius, quam patrimonii vires hinc spectantur, l. 5. C. b. t. Et ut eleganter ait Pomponius: Plerunq; idonei non tam patrimo-  
 nio, quam fide quoq; estimantur, l. 112. de V. O. Et ut respondit Ulpianus: Plerunq; pauperior supplet operâ, quantum ei deest per patrimonium, l. 5. §. 1. ff. pro soc. Multi quippe reperiuntur boni viri, sed pauperes, ut est apud Aristoph. Unde Petronius: Nescio, inquit, quomodo bonæ mentis soror est paupertas. Sic Pro-  
 verbio jactatur: Nullus repente vir bonus ditatus est. Et de La-  
 etantio scribit Hieronymus. Eum adeo pauperem fuisse, ut ple-  
 rumque etiam necessariis indiguerit. Nota quoque est pau-  
 pertas Sabini Jcti ex l. 2. §. ult. ff. de O. J. Causa enim ei si-  
 cut plerisque probitas erat, inquit Curtius de quodam. Vid. Pe-  
 trarch. l. 2. de remed. utriusque fortuna, Dial. 9. Taubm. ad  
 Plaut, p. 1177. a. 2. Amirat. disc. 6. in Tacit. l. 17.  
 Harpr. hinc. p. 670. n. 3.

In Plut.

Chronic. Eu-  
seb.

EXPLICIT LIB. I.



00 A 6414


ULB Halle 3  
002 928 094  


12

1017








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



IN DEO!

**INSTITUT.**

BLICI

IO QVINTA.

itico - Juridica

De

**FORUM**

Eorumque & Tu-

one, Excusatione &

otione.

. 24 25. & 26.

IBENS

EXTUS

nem, Quæstiones,

is & Axiomata,

Quam

RÆSIDIO

**TAUBMANNI**

Profefs. Publ.

ndam proponit

**US Wehse Trebizensis,**

us Electoralis.

ditorio ꝛctorum horis antemerid.

---

TEBERGÆ,

STOPHORI Siegel/ Anno 1636.

